

restinguet, et te ultro accusabit, et dabis  
 25 ultro supplicium. *PH.* ō indignum facinu'! nunc ego 70  
 et illam scelestam esse et me miserum sentio:  
 et taedet et amore ardeo, et prudens sciens,  
 vivos vidensque pereo, nec quid agam scio.  
*PA.* quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas  
 30 minimo; si nequeas paullulo, at quanti queas; 75  
 et ne te adflictes. *PH.* itane suades? *PA.* si sapis,  
 neque praeter quam quas ipse amor molestias  
 habet addas, et illas quas habet recte feras.  
 sed ecce(m) ipsa egreditur, nostri fundi calamitas;  
 35 nam quod nos capere oportet haec intercipit. 80

## ii THAIS PHAEDRIA PARMENO

*TH.* Miseram me, vereor nē illud graviu' Phaedria  
 tulerit neve aliorsum atque ego feci acceperit,  
 quod heri intro missu' non est. *PH.* totus, Parmeno,  
 tremo horreoque, postquam aspexi hanc. *PA.* bono ani-  
 mo es:  
 5 accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis. 85  
*TH.* quis hīc loquitur? ehēm tun hic eras, mi Phaedria?  
 quid hīc stabas? quor non recta intro ibas? *PA.* ceterum  
 de exclusionē verbum nullum? *TH.* quid taces?  
*PH.* sane quia vero haec mihi patent semper fores  
 10 aut quia sum apud te primu'. *TH.* missa istaec face. 90  
*PH.* quid "missa"? o Thais, Thais, utinam esset mihi  
 pars aequa amori' tecum ac pariter fieret,  
 ut aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet  
 aut ego istuc abs te factum nihili penderem!  
 15 *TH.* ne crucia te obsecro, anime mi, (mi) Phaedria. 95